

Zeitschrift: Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum
Herausgeber: Litteris Conradi Orellii et Soc.
Band: - (1750)
Heft: 20

Artikel: Oratio qua disquiritur : quaenam sit scientia praestantissima?
Autor: [s.n.]
DOI: <https://doi.org/10.5169/seals-394687>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. [Siehe Rechtliche Hinweise.](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. [Voir Informations légales.](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. [See Legal notice.](#)

Download PDF: 14.03.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

(*) ORATIO,

qua disquiritur:

Quænam sit Scientia præstantissima?

PErorando vice ad me revoluta, polliciti memor, ea persequar, quæ exorsus sum. Satis superque, ut mihi quidem videtur, Φιλομαθείας Præstantiam proxime adstruxeram; ubi ostendi, nihil prorsum in rebus humanis esse, quod ejus pretium imminuat. Quando autem tam multa sunt, quæ se nobis ad cognoscendum offerunt: res ipsa postulat, ut perquiramus, quænam ex omnibus scientia clarius exsplendescat, ac veluti princeps ponenda sit, ad quam hauriendam studium nostrum atque industriam præcipue conferamus. Nam quum in universa mundi fabrica nulla propemodum res est, quam mens nostra non contemplari, & ex contemplatione fructum aliquem, vel saltem voluptatem capere possit: primum quidem facile inducimur, ut credamus perinde esse, cuicumque tandem rei diligentiam addicamus nostram, dum ne voluptas, qua ponderare omnia a puero didicimus, absit. Verum usu posterius & ratione edocti, res tantum ab rebus distare, quantum a terra cœlum: haud injuria alias aliis digniores judicamus,

(*) Et hæc quoque Oratio, eundem cum superiore vener. Auctorem habet, atque circa idem tempus in Societate Amicorum recitata fuit.

camus, quibus nos plurimum temporis tribuamus. Neque enim in brevi adeo vitæ nostræ cursu fieri potest, ut in cunctorum cognitionem animus se penetret. Si quis tantum sibi sumit, ut nihil non adsequendum ingenio confidat; in cortice fere hæret, nec ad medullam pertingit: in limine consistit, nec propius adyta accedit: mentisque aciem, dum ad plura intendit, hebetat. Haud secus ac ille qui oculis multa simul cernere instituit, nihil, aut parum admodum percipit. Quare id arbitramur adprime in vita esse utile, ut animum ad aliquod studium adjungamus, cui egregie præter cetera operam locemus nostram. Hoc vero non aliud esse, quam quod hominum naturam ornat & perficit, quod ad beatam & immortalem vitam recto tramite deducit, quod nos ad amplissimas spes excitat Deique simillimos efficit: nemo, opinor, diffitebitur, cui mens læva non est.

Sed permagni interest, ut sciamus, unde hoc studium dignosci, ubi inveniri possit. Quivis id mecum deprehendet, ubi attenderit, cur Deus hominem fecerit. Sicut maximam mundi partem propter hominem machinatus est: ita ipsum propter se, tamquam divini templi antistitem, spectatorem operum, rerumque cœlestium. Solus enim, quod constat, est, qui sentiens, capaxque rationis intelligere possit Deum: qui opera ejus admirari, virtutem, potestatemque perspicere. Idcirco enim consilio, mente, prudentia instructus est. Ideo solus præter cetera animantia rectus corpore, ac statu factus est, ut ad contemplationem

nem parentis sui excitatus esse videatur. Ideo sermonem solus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majestatem domini si queat. Postremo idcirco ei cuncta subjecta sunt, ut factori, atque artificio Deo esset ipse subjectus. Si ergo Deus hominem suum voluit esse cultorem, eoque illi tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur; utique justissimum est Deum colere, videlicet eum, qui tanta præstiterit, amare hominem, qui sit nobiscum divini juris societate conjunctus. Nec enim fas est, cultorem Dei a Dei cultore violari. Unde intelligitur, religionis, ac justitiæ causa esse hominem figuratum. Cujus rei testis est Tullius, qui in libris de Legibus: omnium, inquit, quæ in doctorum hominum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi, nos ad justitiam esse natos. Quod si est verissimum, vult Deus omnes homines esse justos: id est, Deum, & hominem caros habere: Deum scilicet honorare tamquam patrem, hominem diligere velut fratrem. In his enim duobus tota justitia consistit. Atque adeo, qui aut Deum non agnoscit, aut homini nocet, injuste, & contra naturam suam vivit, & hoc pacto institutum divinum rumpit.

Non ergo ideo nascimur, ut ea, quæ sunt facta, videamus, sed ut ipsum factorem rerum omnium contemplemur, id est, mente cernamus: non ideo inspirati a Deo sumus, ut cælum intueremur, & solem, sed ut artificem solis & cæli pura ac integra mente coleremus. Quare si quis hominem, qui vere sapit, interroget, cujus
rei

rei gratia natus sit : continuo respondebit intrepidus ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideo generavit, ut sibi serviremus. Servire autem Deo, nihil aliud est, quam virtutum studia tueri, & conservare justitiam. Hanc qui obtulerit Deo, satis pie, religioseque litavit.

Quum itaque primum hominis officium sit, in eoque solo summa rerum, & omnis beatæ vitæ ratio consistat, ut stupendæ mundi molis conditorem, communemque humani generis parentem piis veneretur cultibus: apparet, illam esse præclarissimam scientiam, hominumque studiis maximopere dignam, quæ non modo Deum resque divinas contemplatur, sed ad ejus cultum, religionemque omnia refert. Hoc homini proprium, hoc summum ejus bonum est. Nam cetera in ceteris quoque animalibus reperias. Cum enim voces suas propriis inter se notis discernunt, colloqui videntur: ridendique in iis apparet ratio aliqua, cum demulsis auribus, contractoque rictu, & oculis in lasciviam resolutis, aut homini adludunt, aut suis quisque conjugibus, ac fetibus. Nonne aliquid amori mutuo, & indulgentiæ simile impartiant? Jam illa, quæ sibi prospiciunt in futurum, & cibos reponunt, providentiam utique habent. Rationis quoque signa in multis deprehenduntur. Nam quando utilia sibi appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant plures exitus habentia, profecto aliquid intelligere videntur. Potestne aliquis negare, ratione illa regi, cum hominem ipsum sæpe deludant? Jam quibus fundendi mellis officium est, cum adsignatas incolunt sedes, castra communi-

unt,

unt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi suo serviunt: nescio an in his sit perfectum prudentiæ exemplum. Incertum igitur, utrum illa, quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis viventibus, nec ne. Religionis certe, in qua perfecta ratio consistit, summaque sapientia, sunt expertia. Hæc in eo exitium facit hominem, quod soli datum est homini intelligere divina. Qua de re Ciceronis vera est sententia. Ex tot, ait, generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Ipsi- que in hominibus nulla gens est neque tam immanueta, neque tam fera, quæ non etiamsi ignoret, qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur, religioni serviendum esse. Quam qui non suscipit, ipse se in terram prosternit, & pecudum sequutus vitam, humanitate se abdicat. Nam ipsa humanitas quid est nisi iustitia? quid est iustitia nisi pietas? Pietas autem nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio. Quæ itaque disciplina hanc tradit & præcipit, aliis omnibus merito præfertur: quia hominem summæ felicitatis, ad quam cuncti adeo contendunt, reddit participem, immo Deo suo reddit. Id præstat vera Theologia; de qua dici potest, quod Homerus de Tiresia, Cato de Scipione dixisse feruntur, eam videlicet sapere solam, reliquas disciplinas, velut umbras per inane volitantes vagari.

Sed eam intelligo Theologiam, quæ non ex humanis placitis, non ex Patribus, non ex Conciliis, non ex ullis privatis publicisque libris, sed ex solo Dei verbo, hauritur. Quod verbum
cum

cum in animis hominum scriptum, tum in sacris consignatum litteris. De Deo enim quis melius nos edoceat, quam Deus ipse? Salutis viam quis rectius commonstret, quam salus ipsa? Qui ex ejus ore ita pendet, ut aures aliis impartire nolit: non fertur in præcipitia, sed plano itinere ad felicitatis metam progreditur. Igitur summis laudibus extollenda immortalis Dei benignitas, qui, quum homini per se ipsum ratio divina non innotesceret, eum non passus est oberrare, ac sine ullo fructu vagari per tenebras inextricabiles; sed aperuit oculos ejus, & notionem veritatis munus suum fecit: ut & humanam sapientiam nullam esse ostenderet, & erranti, ac vago viam consequendæ immortalitatis monstraret. Hic pater noster, ac dominus, qui condidit, firmavitque cælum, qui solem cum ceteris sideribus disposuit, qui libratam magnitudine sua terram vallavit montibus, mare circumdedit, omnibusque distinxit: & quidquid est in hoc opere mundi, conflavit, ac perfecit e nihilo: hic, inquam, perspectis erroribus hominum, ducem misit Christum, qui nobis justitiæ viam panderet. Quem nos sequi, quem audire, cui devotissime parere addecet: quoniam solus (ut cum *Lucretio* loquar:)

Veridicis hominum purgavit pectora dictis:

Et finem statuit cupedinis, atque timoris:

Exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes,

Quid foret, atque viam monstravit tramite parvo:

Qua possemus ad id recto concedere cursu.

Nec monstravit tantum, sed ipse præivit: ne quis difficultatis causa virtutis iter horreret. Nemo enim post mundum conditum talis existit,
 nisi

nisi Christus: qui & verbo sapientiam tradidit, & doctrinam præsentis virtute firmavit. Hanc itaque Christi doctrinam nemo sanus est, quin mortalium studiis atque curis dignissimam judicet, tamquam immortalitatis parariam, & sempiternæ salutis promum condum. Hac imbuta mens, facile despicit aliarum scientiarum fructus: qui revera nihil ad illos sunt. Ut enim Deum scire, est omnia scire: sic Deum nescire, est nihil scire, etiamsi existimes te omnia scire. Hanc autem Dei scientiam, in qua sunt omnia, quis planius ac distinctius declaret, quam is qui est perfectus sapiens, id est, in quo summæ doctrinæ ac scientiæ summa virtus, & consummata justitia consensus?

Quod ipsum divinissimi Doctoris institutum studiosos ejus erudit, in quo vis doctrinæ illius consistat; scilicet non in sola contemplatione, sed in cognitionis ad pium virtutis exercitium applicatione; neque tam id agi, ut quis multa discat, quam ut ea, quæ compendio didicit, strenue ac sedulo agat. Hæc nempe est palmaria & vere unica scientia, quæ veram homini religionem, ad quam natus factusque est, propinat. Illa autem religio est vera judicanda, quæ veram tradit sapientiam. At vera sapientia non est, quæ summam pietatem non habet; quoniam sapere nihil aliud est, nisi Deum verum justis, ac piis cultibus venerari. Idcirco & in sapientia religio, & in religione sapientia est: quia & in colendo sapere debemus, id est, scire quid nobis, & quomodo sit colendum: & in sapiendo colere, id est; re & actu quod scierimus, implere. Ubi er-

go sapientia cum religione conjungitur? ibi scilicet, ubi Deus colitur unus, ubi vita, & actus omnis ad unum caput, & ad unam summam refertur. Sapientia spectat ad filios, quæ exigat amorem: Religio ad servos, quæ quidem exigat timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent, & honorare: sic hi dominum colere, & vereri. Deus autem, quia utramque personam sustinet & patris, & domini, & amare eum debemus, quia filii sumus, & timere, quia servi. Non potest igitur nec religio a sapientia separari, nec sapientia ab religione secerni: idem enim Deus est, qui & diligi, & intelligi debet, quod est sapientiæ: & metui ac coli, quod est religionis. Sed sapientia præcedit, religio sequitur: quia prius est Deum scire, consequens colere. Itaque in duobus nominibus una vis est, quamvis diversa esse videtur. Alterum enim positum est in sensu, alterum in actu. Sed tamen similia sunt duobus rivis uno fonte manantibus. Fons autem sapientiæ, & religionis Deus est: a quo hi duo rivi si aberraverint, arescant necesse est: quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi. Qui vero inseparabilem nexum, quo utrumque illud cohæret, solvere, vel potius secare adgrediuntur, & stulte ac præter mentis conantur instinctum, & nefandi sacrilegii se reos faciunt.

Quod si sola Dei rerumque divinarum cognitio in portum beatæ vitæ deduceret, nulli alii nisi docti atque eruditi sine dubio beati forent, licet pessimi. Et qui eam non penitus hausissent, essent omnes semper inter spemque metumque dubii, licet optimi: quum innumerabiles existant,

& semper exstiterint, qui sint, aut fuerint sine interiore doctrina, ad quam vel per victus quæritandi necessitatem, vel per corporis invaletudinem, vel per temporis injuriam, vel per præceptorum inscitiam malitiamve, pervenire non potuerunt, boni probique: ex doctoribus autem & sapientiæ antistitibus, qui naturam in tribuendis animi, & corporis, fortunæque bonis benignam nacti, omnia tempora litteris dedere, perpauci fuerint, qui aliquid in vita fecerint laude dignum. Nam si quis in mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos, & sub sapientiæ suæ obtentu vitia celantes, domi facientes ea, quæ in scholis ac concionibus arguissent. Id quod Tullius jam de sui temporis philosophis queritur: Quotus, inquit, quisque philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo, & vita constitutus, ut ratio postulat: qui disciplinam veram, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet, qui obtemperet ipse sibi, & decretis pareat suis? Videre autem licet alios tanta levitate & jactatione, ut his fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum servos, ut cum eorum vita, & vitiis mirabiliter pugnet oratio. Et Nepos Cornelius ad eundem Ciceronem ita scribit: Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitæ philosophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis magis existimem opus esse magistris vivendi, quam plerisque qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissimæ, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. Item Senecæ in exhorta-

hortationibus: Plerique, inquit, philosophorum tales sunt diserti in convitium suum: quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium sui putes professos: Adeo redundant ad ipsos maledicta, in publicum missa: quos nos non aliter intueri decet, quam medicos quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Quosdam vero nec pudor vitiorum tenet, sed patrocinia turpitudini suæ fingunt: ut etiam honeste peccare videantur. Clarissimos hos viros quum ita audimus invehi, nonne videntur vivis coloribus depinxisse corruptos temporum nostrorum mores? ubi qui honestiora & sanctiora præcipiunt, aut non faciunt ipsi quæ suadent, aut si nonnulla faciunt, non disciplina eos ad rectum, sed vel gloria, vel pudor, vel ipsa natura perducit, quæ sæpius etiam pessimos impellit ad laudem. Neque placere hi propter solam scientiam Deo possunt, neque bene mereri de humano genere censendi sunt. Etenim non tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene sentiendi adfert, [quæ arguta fere malitia est] quam qui pie, atque innocenter & ore, & exemplo suo docet vivere. Quare majori in gloria apud Græcos philosophi fuerunt, quam oratores. Illi enim recte vivendi doctores sunt existimati, quod est longe præstabilius: quoniam ut bene dicere, sic bene per omnes partes sentire ad paucos pertinet, bene autem vivere ad omnes. Sapientia enim omnis, nisi in aliquo actu fuerit, quo vim suam exercent, inanis & falsa est. Hinc recte Marius apud Sallustium: Non placent, inquit, mihi illæ litteræ, quæ ad virtutum doctoribus nihil profuerunt. Recteque Cicero ci-

viles viros, qui temp. gubernant: qui urbes aut novas constituunt, aut constitutas æquitate tuentur: qui salutem, libertatemque civium, vel bonis legibus, vel salubribus consiliis, vel iudiciis gravibus conservant, philosophiæ doctoribus prætulit. Bonos enim facere oportet, potius quam inclusos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipsi quidem faciunt. Qui autem docent tantum, nec faciunt, ipsi præceptis suis fidem detrahunt, leviolemque doctrinam suam faciunt, dum re ipsa resolvunt, quod verbis adstruere nituntur. Quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare? Bonum est quidem recta, & honesta præcipere: sed nisi & facias, mendacium est, & incongruens, atque ineptum non in pectore, sed in labiis habere bonitatem. Continuo dicat aliquis: Prius disce, qui doces: & antequam mores aliorum corrigas, tuos corripere. Homines enim malunt exempla quam verba: quia loqui facile est, præstare difficile. Quod Cornelius olim de civibus suis questus erat; multos pro libertate fortius loqui, quam pugnare; idem de sacrae urbis incolis merito dixeris. Utinam quidem tam multi bene facerent, quam multi loquuntur bene! quum tamen divinae veritatis monumenta, & tot virtutum exempla ad nos transmissa sint non ad inanem aurium oblectationem, sed ut essent pabulum honestæ mentis; non ut ingenium inde cultius, sed & animus rediret; non ut loqueremur tantum, sed & viveremus. Atticus certe, teste Nepote, principum philosophorum ita percepta habuit præcepta, ut illis ad vitam agendam non ad ostentationem uteretur.

Porro

Porro hic sapiendum est, & quidem mature. Non enim nobis altera vita conceditur, ut quum quæramus in hac sapientiam, in illa sapere possimus: in hac utrumque fieri necesse est. Cito inveniri debet, ut cito suscipi possit: ne quid pereat ex vita, cujus finis incertus est. Nihil nobiscum ferre possumus, nisi vitam bene, atque innocenter actam: quam solam sancta illa majestas ab homine desiderat. Ille ad Deum copiosus, ille opulens adveniet, cui adstantur continentia, misericordia, patientia, caritas, fides. Hæc est hereditas nostra, quæ nec eripi cuiquam potest, nec transferri ad alium. Quisquis enim corruptelas terræ virtute calcaverit, hunc arbiter ille summus, & verax ad lucem, vitamque perpetuam suscitabit: neque divitiæ, neque fasces, neque regia potestas, neque immensa doctrina immortalem faciunt. Nam quicumque rationem hominis abjecerit, ac præsentia sequutus in humum se ipse prostraverit, tamquam desertor domini, & imperatoris, & patris sui punietur. Tantum abest, ut bene sentire, & male vivere, quidquam juvet ad præmium consequendum, ut contra omnem sceleribus præcludat excusationem. Namque, uti Sospitator noster docet Luc. XII: 47. Servus, qui supremi domini voluntatem neque cognovit, neque obsequutus illi est, pœnas quidem dabit, propterea quod in voluntatem, quam nosse debebat, non inquisivit. At ille servus, qui voluntatis divinæ gnarus, insuper eam habuit, tanto graviores pendet pœnas; quia nihil usquam est, quod sanctissimum Numen magis offendat, quam veritatis contemptio, & justii imperii detrectatio. Ex quo intelligi potest, quanti

interfit, non veritatem modo, sed maxime virtutem lætis amplexibus veluti thalamo jungi.

Una igitur spes homini, una salus in eo posita est, ut Deum & cognoscat, & colat. Hæc bina sejungi nec possunt, nec debent; nisi quis existimet, mentem humanam sola cognitione veri perfici, non vero amore boni; verbum Dei intellectum dumtaxat instruere, nec formare voluntatem; Spiritum Dei ingenium solummodo locupletare, nec animos imbuere recti studio; & sanctos cœlites tantum in videndo & contemplando Deo, non laudando amandoque occupatos esse. Atqui heic jam discenda, quorum maximus in cœlo perseverabit usus.

Præterea recte credere, & nequiter vivere, non summum modo sceleris, sed & summum stultitiæ est: nam perinde est ac si quis noscat aliquid venenum esse, & tamen eo lubenter vescatur; vel cernat præcipitium, atque in illud sciens prudensque se conjiciat. Verum isthæc, recte credere, & pessime vivere, si rem recta putemus via, simul consistere nequeunt: quia is qui male vivit, hoc saltem pessime credit, non recte vivendum esse. Viæ duci vere non credit, qui eum præeuntem non sequitur: Neque credit præceptori, qui ejus documenta atque hortationes susque deque habet. Pari modo de Christi discipulis atque adseclis judicandum est. Qui male vivit, dum religioni quodammodo adsentitur, is vel falsam ideam habet officiorum religionis, vel amplio-rem quam par est Dei indulgentiam sibi fingit, vel aliis istiusmodi fictionibus sibi supparasitatur. In
his

his autem omnibus, quam male sentiat, nemo non videt. Quin is qui notitiam, quam de Deo habet, ad actum non refert: malos genios imitatur. Credunt enim isti, & exhorrescunt; atque adeo scientia eorum hactenus efficax est, quod horrorem subinde incutit, & damnationem ante oculos adducit. Postremo, ita cassa, ita evanida, sine actu, cognitio omnis est, ut & nosse quidem Deum, qui ei non obediunt, dicantur.

Apparet ex his omnibus, caput rei esse notitiæ de Deo divinisque rebus sedulam ac seriam ad virtutis studium accommodationem, qua sine, non minus inutilis est notitia, quam famelico nosse cibos quos non comedit; & ægroto, nosse remedia quibus non utitur. Qui itaque vult sapiens, ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum initiationis sacræ norit, humana contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum, ad quod natus vocatusque est, possit adipisci. Omnis sapientia hominis, omnis notitia animis cœlestibus digna profecto in hoc uno est.

* * *

Quod Cicero de sapientia dixerat; nihil a Diis immortalibus uberius, nihil florentius, nihil præstabilius hominum generi datum esse; id nobis de divina illa sapientia, quæ in Christi hauritur schola, multo potiori jure prædicare licet. Nullus enim suavior animo cibus est, quam ejus cognitio. Sola isthæc nos a libidinum impetu, & formidinum terrore vindicat, & ipsius fortunæ modestè ferre docet casus, & omnes vias, quæ ad

Solidam quietem & tranquillitatem ferunt. Nihilominus paucos admodum sui amatores habet. Diogeni de sapientia disserenti aures nemo commodare, canenti & modulanti præbere omnes. Hinc ille: O Dii immortales, quam pauci utilibus, stultis quam multi capiuntur! Idem heic usavenire, omnes illi testantur, qui, quæ de stulticiis, aut aquis arcendis, aut de manu conferenda, quæ de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo erudite disputantur, pronis accipiunt auribus, faventique animo: sed, ubi vis sapientiæ ostenditur, quæ superstitiones mortiferas, erroresque turpissimos sopire, quæ justitiæ omni virium contentione operari, quæ ad Dei gloriam, ejusque obsequium cuncta referre docet, tum plane alienos se præbent, & suo, quod cœperunt, vivunt modo. Ut recte judices, amorem sapientiæ paucos ad ossa tetigisse, paucis medullam animæ facibus suis perussisse. Nam quia virtutibus amaritudo quædam permixta est, vitia vero voluptate condita sunt: illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps: ac bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur. Etsi vero natura hominum proclivis in vitia, ad veram illam, & piam sapientiam ægre se patitur adduci: tamen in sola ea summam rerum, & beatæ vitæ proram puppimque consistere, proxime plenius a me ostensum. Superest, ut capitulatim dicam, omnes veritates divinitus revelatas a doctore sapientiæ, duceque veritatis, in Sacro Codice ita exponi, ut ad Dei admirationem, piosque cultus nos incitent. Id quod liquido patebit, si Christianæ religionis capita, in quæ tenelli juravimus, attigero.

Unum

Unum profiteamur Deum : uni ergo divinos honores habere, uni nos totos dare & consecrare æquum est. Hic Deus, quia est Pater noster, diligendus : quia dominus, timendus est. Patrem esse, infinita, quibus nos cumulat, beneficia abunde comprobant : his si nosmet ingratos exhiberemus, merito existimaremur stultissimi. Dominum esse, ex eo constat, quod sicut universum mundum virtute sua produxit, & nutu suo gubernat, ita præsertim nos artifici manu conditos regit, tuetur, conservat. Ut vero in hac terra collocati sumus, ut sapientiam, bonitatem, & potentiam Dei ex stupendis illis operibus conspicuam jugiter demiremur : sic nos ab ejus in solidum arbitrio pendere, & nexu atque mancipio Conditoris nostri esse, numquam non meminisse oportet. Porro Deus in carne manifestatus, potentissimum juxta ac suavissimum, ad divinam in humano corpore vitam degendam, incitamentum est. Quia filius : oscula ejus pia submissione, promptoque obsequio libare jubemur. Quia sospitator : ad eum, tamquam tutissimum salutis portum prudenter cursum dirigimus. Quia eximiiis donis velut fragrantissimo oleo perfusus : omne studium nostrum eo conferimus, ut de iisdem, quoad pote, participemus. Quia præstantissimus vates, immo Sophorum Deus : ejus doctrinam omnibus viribus complectimur, avidissimeque combibimus. Quia augustus Sacerdos : ejus hostia Deum nobis propitium factum pie credimus, & hostimenti loco, quidquid in nobis est, pure illi offerimus. Quia Rex ac dominus : & jussa illius facimus, & in majestate atque benevolentia ejus spem ac fiduciam nostram ponimus.

Nostro bono dira supplicia perpeffus, & in crucem actus est: ut patientiæ exemplum monstraret nobis, neque dubitaremus, si fata ita ordinavissent, exquisitissimis tormentis corpora objectare, & pro veritate adserenda mortis adire pericula. Vitam pro nobis posuit: ut non nobis, non carnis illecebris, non sæculi tentamentis, non Sathanæ lenociniis audientiam daremus, sed ut sibi, hoc est, Deo, dum sumus, viveremus. Corpus ipsius terræ mandatum: ut sciremus, ejuranda vitia, deponendas carnis exuvias, & delinquendi licentiam penitus abjiciendam, ut frangatur, enervetur, tandemque in nihilum redigatur. Sed quia idem superas evasit ad auras, ut longe clarius atque magnificentius laudes Dei & majestatem in vita extolleret: nos quoque ad piam, & divinæ legis normam examuffitatam vitam, virtutum Dei indicem æmulamque, resurgere addecet. Evectus in cœlum, regale Patris sui solium occupavit: id nos submonet, ut humana & terrestria despicata habeamus, quia fluxa, & incerta, & ad corporis modo vitam pertinentia; cœlestia vero, quia æterna, & suavia, & animi desiderium explentia, unice spiremus, speremus, quæramus. De cœlo redibit Christus, cogitationum, dictorum, ac factorum rationem exacturus ab singulis: singulos igitur id operam serio ac sedulo dare oportet, ut talem instituant vitam, quæ ab Judice inspecta, non absolvat tantum, sed etiam præmio dignos constituat. Credimus insuper, Spiritum Sanctum esse: neque hoc scire sufficit, sed in id maxime connitendum sacra monumenta passim docent, ut illius sequamur ductum, ut sanctitatem & castimoniam, quam ille suadet, præci-

præcipit, & efficit, arripiamus, ut animum ad illius doctrinam submissum, docilem, atque attentum adferamus. Habet vero Christus populum a Sæculi fece segregatum & repurgatum, cujus præcipuum decus est integritas animi, morumque castitas: frustra itaque sumus, & inaniter gloriosi, nisi hunc ornatum ceperimus. Idem ille populus, arctissimo fœdere junctus, & communium beneficiorum usu ac spe colligatus, tenerimo amore alii alios prosequuntur: eo ni capti sumus, a Christi castris longissime absumus, etsi nomina nostra professi. Confidimus, peccantibus nobis, si veniam delictorum rogaverimus sanguine Christi freti, clementiam Dei numquam deferre: sed temerarii simus, & pessime nosmet frustramur, si in spem veniæ a tramite justitiæ recedamus. Fugienda potius mala, & suspensiones criminum vitandæ, ne venia opus sit. Christianis eximium est, quod credunt, mortalium corpora decursis ætatibus mundi ad alteram vitam suscitatum iri: hoc eo valet, ut corpora a luxu & libidine intaminata præstemus ac servemus, ne turpiter fœdata atque insignita aliquando e conditoriis prodeant. Postremo, beatam exspectamus vitam: sed ut ne nos fallat spes nostra, nunc jam pietate, justitia, modestia, abstinentia, ceteris virtutibus ad eam adspiremus & contendamus oportet.

Hoc tum est feliciter vivere, & in terris vitam cœlestium imitari. Hæc sola sapientia est viæ dux, virtutum omnium parens, vitiorum expultrix, animorum liberatrix.

O hebetes & stupidos, aut, ut verius dicam, miseros & perditos, si qui harum rerum suavitatem fructumque non sentiunt: sed, ut proci Homericæ, ancillarum amoribus irretiti, illam omnium artium dominam, ac principem negligunt! Hæc enim earum rerum scientiam profitetur, quarum pia cognitio æternam beatitatem, ignorantio & contemptus æternum exitium hominis pollicetur.

Beatos contra, immo terque quaterque beatos, quorum ita est adfectus animus, ut nusquam suavius quam in his studiis conquiescat: beatos, qui se illis a teneris unguiculis, penitus totosque tradunt, & illuc, tamquam ad portum confugiunt. Non eos aut inanium dignitatum, aut fluxarum opum adurit sitis: non eos voluptatum illecebræ molliunt & emasculant; liberi, & pravis omnibus cupiditatibus, quibus reliqui tamquam ferreis compedibus constricti tenentur, soluti ex illo perenni fonte aquam æternæ vitæ effectricem hauriunt: ex illis perpetuo viridantibus campis flores suavissimos colligunt atque decerpunt, ex quibus qui odores adsantur, eorum numquam est intermorigura suavitas. Deo expromte inserviunt, Deo caste perfruuntur, ejus tantum gloriæ velificantur, ei adhærescunt, quæque olim plene percepturi sunt gaudia, ea jam nunc mente ac cogitatione percipiunt, & præcipiunt. Ergo sive domi, sive foris versentur, cum Deo assidue colloquuntur. Sive prosperis utantur rerum successibus, eidem ut prosperitatis suæ auctori gratias agunt: si quid eis adversi accidit, [quamquam quid ejusmodi viris accidere queat?]

sed

sed tamen si quid eis accidit earum rerum, quas vulgus adversas vocat, neque indignantur, neque concidunt animis, sed verbo divino sese solantes, quidquid a Deo immittitur, summi beneficii loco habendum esse putant. Denique hæc sapientia mentes plene ad salutem instruit, atque adeo ceteras disciplinas infinito intervallo post se relinquit. Quod demonstrandum erat.

T A N T U M.



NOVA